



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

IX. De elongatione à creaturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)



charitas est & amoris puteus, qui non potest exhauriri.

Plus enim omnes amat, quam ab omnibus possit amari.

Placet tamen ei, si quis eum ex fundo amare appetat, licet ad fundum pervenire non valeat, quia ipse omnes in amore devorat, vincit & superat.

## ORATIO

*Homini  
à terre-  
no amo-  
re ad di-  
vinum  
aspiran-  
tis.*

*\* Psal. 54*

*Deseren-  
de crea-  
turæ, ut  
conjun-  
gamur  
Creatori.*

*Rom. 7.*

## CAP. IX. De elongatione à creaturis.

**E**cce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.\*

○ quàm salubre, quàm jucundum & suave est, sedere in solitudine, & tacere, & loqui cum Deo, ac frui solo summo bono in quo sunt omnia bona!

Utinam sic essem conjunctus illi simplicissimo & unico bono ut nullis moverer affectionibus & distractionibus rerum transcurrentium; nulli creaturæ, nulli creature rei visibili, oculos videndo advertendo, curiole præberem.

*Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Heu, quàm sapè moritur anima mea!*



mea propter creaturas, quas amat. Sæpè Creatoris sui propter eas obliviscitur, & seducitur.

Instabilis mens mea nunc istud vult, nunc illud; nunc hic est, nunc ibi; pacem quærens in creaturis, & non inveniens.

Quia omnis creatura etsi delectationem aliquam habet ad usum, non tamen præstat satietatem ad fruendum.

Delectant enim, non satiant.

*Inscrutabile cor hominis, & Hier. 17.  
quis cognoscet illud? Deus tu scis Psal. 43.  
cogitationes hominum quoniam  
vana sunt.*

2. O Deus æterne, summe & immense, Creator omnium & rector: ego sum creatura tua, quam fecisti in virtute tua.

Ad amandum te factus sum. Et modò volo amare te, & non possum quantum volo. Ligatus sum vano amore, & viscoso affectu rerum labentium, à quibus dum me excutere conor, vix aut nullatenus sine gravi dolore possum.

Amor terrenus est obex amoris divini.

O si tu mihi dulcescas & sapias, quàm cito fugient & peribunt?



Interdum tamen video mentis intuitu invisibilia tua, per ea quæ facta sunt, & te summum bonum, verum, sempiternum Deum.

Et delectat me his immorari; sed statim nescio quo flatu actus ab hoc studio revocor, & in amore & pondere visibilium miser languens teneor.

Ecce enim firmiter mihi propono in corde meo, tanquam lignum foederis inter me & te faciendo, quòd nullam creaturam videre & amare volo propter amorem tuum nobilem ac pretiosum; sed omnia cõtemnere, & me, & omnia mea pariter relinquere.

3. Post hæc autem ascendunt cogitationes hujus mundi, carnis peccatricis cognatæ & vicinæ, tam suaviter ad cor meum, quasi in ipsis esset aliqua felicitas: & quasi amissurus essem quid magni boni, si eas contemnerem: lætam faciem prætendentes, finem tristitem abscondentes: quid in præsentiarum sit exhibentes, quid mali autem sequatur, tacentes.

Quasi ubique & in omnibus

Bona nostra proposita impugnantur à carne;

Cujus læta frons, sed cauda tristis.

quæ



quærendus sis creaturis, & nihil  
abjiciendum vel contemnendum  
quod à te Deo meo constat fa-  
ctum, sicque abducunt me sæpè à  
proposito meo; & tandem omni-  
no seducunt.

4 O quàm vanæ, quàm dece-  
ptoriæ, & prope nihil; etiam stan-  
tes & florentes probantur: quæ  
post subitaneas suas delectatio-  
nes diffugientes, me inter spinas  
& tribulos malæ conscientiæ re-  
linquunt!

Cogita-  
tiones  
carnis  
fallaces.

Væ mihi Domine, & væ ite-  
rum mihi: quia vanitati citius  
credidi, & assensi; te autem, qui  
Veritas es, tam facilè reliqui.

O quantum in hoc deliqui,  
quod non omnibus postpositis,  
tibi soli adhæsi!

Nam ad amandum te & fru-  
endum factus sum; sed creaturas  
inordinate sequendo, te amisi,  
& in eis nullam cordis mei pau-  
sationem inveni.

Ama ne  
inordina-  
te crea-  
turas, a-  
mittit  
creato-  
rem.

Converte me Domine ad te,  
& noli me in terrenis relinquere,  
qui cœlestia te sequentibus dig-  
natus es promittere.